


99 F 63





Themata theologica,

EX III. LIBRO DAMASCENI, DE FI-
DE ORTHODOXA VNIONIS PERSONALIS, COM-
municationis Idiomatum, & aliorum articulorum in secunda
parte symboli Apostolici de Iesu Christo com-
prehenforum, collecta :

de quibus,

PRÆSIDE IOHANNE MATTHÆO THEOLO-
giæ Doctore & Professore publico,

disputabit, Deo fauente,

M. ANDREAS GODEKEN, THEOLOGIAE
Professor publicus,

Pro licentia in Theologia consequenda,

Vuitebergæ

DIE XXIX. MAII. IN AVDITORIO COLLE-
gii maioris, manè hora sexta.

ANNO DOMINI M. D. LXXXIII. 2.





99 7 63

THEMATA THEOLOGICA EX
LIBRO III. DAMASCENI, DE FIDE
orthodoxa.

I. THESIS.

Quis, quod omnium novorum maxime novum est, &
quod solum novum sub Sole, est illud, quod unigeni-
tus filius & VERBUM DEI, & Deus consub-
stantialis Patri & Spiritui sancto, inclinavit caelos,
& descendit, perfectus Deus existens, homo perfectus fit, propter
nos homines, & propter nostram salutem.

Ex cap. 1.
lib. 3.

De finali
caussa incar-
nationis filii
Dei.

II.

Et VERBUM caro sine mutatione factum, ex Spiritu san-
cto & MARIA $\tau\eta\zeta$ $\alpha\gamma\iota\alpha\varsigma$ $\beta\epsilon\tau\alpha\rho\theta\epsilon\nu\varsigma$ $\kappa\alpha\iota$ $\delta\epsilon\omicron\tau\omicron\kappa\alpha\varsigma$, constituitur
Mediator Dei & hominum: & patefecit Deus hoc opere ma-
gnam clementiam & misericordiam suam pelagus: simulq; bonitatem,
sapientiam, iustitiam & potentiam suam demonstravit.

III.

Construxit autem sibi ipsi filius Dei ex castis & purissimis san-
guinibus carnem, animatam anima rationali & intellectuali,
primitias nostrae conspersionis, non cum semine, sed ($\delta\kappa\alpha\iota\tau\epsilon\rho\gamma\iota\kappa\omega\varsigma$)
conditorio opere, per Spiritum sanctum: non paulatim per addita-
menta expleta figura, sed vno contextu absoluta. ($\epsilon\nu\phi$ $\epsilon\rho$ $\tau\epsilon\lambda\phi\theta\epsilon\nu\tau$ Θ .)

Ex cap. 2.

De conceptio-
ne instantan-
nea.

IIII.

Ita, ut ipsum Dei VERBUM carni suppositum sit, siue
hypostasis. Non enim ei, que secundum seipsam ante subsisteret
suppositumq; esset (non enim dicimus hominem deificatum: sed
Deum humanatum:) sed $\lambda\omicron\gamma\Theta$, qui est natura perfectus De-
us, factus est perfectus homo, idem ipse non natura mutatus:
neque dispensationem carnis secundum phantasiam monstrans, sed
ex semper sancta virgine sumpta rationaliter & intellectualiter
animata carni, in seipso $\tau\omicron$ $\epsilon\nu\omicron\alpha$ assecuta unitus est secundum hy-
postasin $\alpha\sigma\upsilon\gamma\chi\acute{\upsilon}\tau\omega\varsigma$, $\kappa\alpha\iota$ $\alpha\nu\alpha\delta\delta\omicron\iota\omega\tau\omega\varsigma$, $\kappa\alpha\iota$ $\alpha\delta\iota\alpha\gamma\epsilon\tau\omega\varsigma$, non trans-
mutans suae deitatis naturam in carnis substantiam, nec contra.

Persona non
personam, sed
naturam as-
sumsit.

Neq;

Neque ex diuina sui ipsius natura, & ea quam assumpsit humana natura, vnā naturam perfecit compositam.

V.

Ex cap. 5.
lib. 4.

Persona VER-
BI incarnat-
ta, composita
dicitur.

Hypostasis Dei VERBI ante incarnationem simplex erat & incomposita, incorporea & increata. Incarnata autem, facta est & carni hypostasis, & composita facta est ex deitate, quam semper habuit, & ex ea, quam assumpsit carne: & fert duarum naturarum proprietates, in duabus cognita naturis.

VI.

Quomodo
persona Chri-
sti dicatur
creata & visi-
bilis.

Quare ipsa vna hypostasis increata est diuinitate, & creata humanitate, visibilis & inuisibilis. Quia alioqui compellimur, aut diuidere vnum Christum, duas hypostasies dicentes: aut naturarum negare differentiam, & versionem inducere & confusionem (ὡς τὸ πρὸς τὴν εἰσαγωγὴν καὶ σύγχυσιν.)

VII.

Ex cap. 4.
lib. 1.

Quomodo
vniō perso-
nalis facta sit.

Ideo ex duabus perfectis naturis diuina & humana credimus vniōnem factam esse, non secundum massam, aut confusionem aut mixtionem, vt Eutyches dixit: neq; προσωπικῶν, aut habitualem, aut secundum dignitatem, aut eandem voluntatis conspirationem, aut honoris aequalitatem, aut homonymiam, vt dixit Nestorius: sed secundum compositionem, id est, secundum hypostasim, ἀτρεπίτως, καὶ ἀσυγχύτως, καὶ ἀναλλοιώτως, καὶ ἀδιαιρέτως, καὶ ἀδιάσπαστως, & in duabus naturis perfectis habentibus vnā hypostasim, confitemur filium Dei incarnatum, eandem hypostasim dicentes, deitatis eius & humanitatis: Et duas naturas confitentes in ipso saluas integrasque manere post vniōnem, non seorsim καὶ ἀνὰ μέρος, ponentes vnāquamq;, sed vnitas adinuicem in vna composita hypostasi.

VIII.

Ex cap. 16.
lib. 1.

An tres natu-
re in Christo.

Vnusquisque sanè homo ex duabus componitur naturis, anima & corpore: sed propterea non dicimus tres naturas in Christo, diuinitatem, animam & corpus: & triplices earum actiones, quia & homo dicitur vnius nature, quamuis ex anima & corpore constitutus sit, tunc scilicet, quando pro specie sumitur nature nomen.

Quare

IX.

Quare unam dicimus in homine naturam, non propter identitatem substantialis qualitatis anima & corporis: sed propter incommutabilitatem individuorum sub unam speciem reductorum: Et in Domino nostro Iesu Christo non partes partium consideramus, sed è vicino composita, deitatem scilicet & humanitatem.

X.

Substantialem etiam dicimus unionem, hoc est, veram, non secundum phantasiam apparentiamque fallacem. Substantialem autem non quòd ex duabus naturis una perficiatur natura: sed quòd unite sint ad invicem secundum veritatem, in unam compositam filii Dei hypostasim.

Ex cap. 3.
lib. 3.

Unio hypostatica quomodo dicatur substantialis.

XI.

Substantialem quoque naturarum differentiam astruimus salvari. Nam creatum mansit creatum: & increatum, increatum: & mortale, manebat mortale: & immortale, immortale: & circumscriptum, circumscriptum: & incircumscriptum, incircumscriptum: visibile, visibile: & invisibile, invisibile.

XII.

Aliud igitur est substantia, & aliud hypostasis. In Domino igitur nostro IESU CHRISTO quia duas naturas agnoscimus, & unam hypostasim ex utraque compositam, quando naturas respicimus, deitatem humanitatemque vocamus: at verò, quando ex naturis coniunctam hypostasim, quandoque ex utrisque simul CHRISTUM nominamus & Deum & hominem secundum idem, & Deum incarnatum: quandoque verò ex una naturarum Deum solum & filium Dei: & hominem solum & filium hominis.

Ex cap. 4.

Quibus vocabulis natura: & quibus persona exprimitur.

XIII.

Diuinitatem itaque dicentes, non de illa predicamus ea, que humanitatis sunt propria. Non enim dicimus deitatem aut passibilem aut creatam. Neque de carne, id est, humanitate predicamus ea, que deitatis sunt propria. Ideò humanitatem non dicimus increatam.

De communicatione idiomatum que est prædicatio.

At verò de hypostasi, sine ex utraque siue ex una natura
rum eam nominamus, utriusque naturarum propria illi adijz
cimus. Nam CHRISTVS hoc quidem est, quod utrumque
simul & Deus & homo dicatur, & creatus & increatus: &
passibilis & impassibilis.

XV.

Fundamen-
tum realis
communica-
tionis.

Et quando ex una naturarum filius Dei & Deus nomi-
natur, suscipit carnis propria, Deus passibilis nominatur, & Do-
minus glorie crucifixus, non secundum quod Deus, sed secun-
dum quod homo idem est. Quia quae humana sunt, VER-
BUM sibi attribuit, peculiariaque facit. Nam ipsius sunt
ea, quae sanctae ipsius carnis sunt.

XVI.

Causae tres
realis com-
municatio-
nis.

Et quando dicitur homo & filius hominis, suscipit diuinae
naturae propria & glorificationes. Puerulus ante secula, &
homo sine principio, non secundum quod puer & homo, sed se-
cundum quod Deus: qui est ante secula, factus est in nouis-
simis puer paruulus. Quia VERBUM tradit carni sua
καὶ τὸν τῆς ἀντιθέσεως ἑόπου, secundum alterne tributionis mo-
dum, propter naturarum περιχώρησιν in se inuicem accessionem ac
immanentiam, & secundum hypostaticam unionem. Et quod
unus erat & idem, qui diuina & humana operabatur in utraq.
forma, μετὰ τῆς διατέξεως κοινωτιᾶς cum alterius communionem.

XVII.

Quare propter hypostaseos identitatem, & naturarum in-
uicem περιχώρησιν de Christo possumus dicere: Hic Deus noster in
terra visus est, & cum hominibus conuersatus est: & homo iste
increatus est, impassibilis & incircumscriptus.

XVIII.

Ex cap. 7.
lib. 3.

Quomodo
perichoreosis
intelligenda.

Et si autem dicimus, Domini naturas περιχώρησιν ἐν ἀλλήλαις,
se inuicem immeare: scimus tamen, quod ex diuina natura
περιχώρησιν prouenit. Nam omnia pertransit, quemadmodum vult,
& permeat omnia: per ipsam autem nihil. Et ipsa quidem proprias
glorificationes carni tradit, cum ipsa maneat impassibilis, & im-
munis passionum carnis.

Quemad-

XIX.

Quemadmodum autem tres hypostases supernae Trinitatis inconfuse ununtur, & indivisibiliter discernuntur & numerantur, & numerus divisionem, distantiam, alterationem, aut sectionem non inducit: (nam unum Deum agnoscimus patrem & filium & Spiritum sanctum) eodem quoque modo & Christi natura etsi ununtur, inconfuse tamen ununtur: Et tamen si in se invicem commeant, immanentque, invicem tamen versionem & transmutationem non admittunt. Servat enim utraque sui ipsius naturalem proprietatem ἐμετάβλητον incommutatam.

Ex cap. 5.

Quid numerus importet, siue de numero naturarum.

XX.

Quare & numerantur, & numerus non inducit divisionem. Nam unus est CHRISTVS in divinitate & humanitate perfectus. Numerus enim non divisionis aut unionis causa est, sed quantitatis, eorum que discreta sunt significativus, siue unita, siue divisa sint.

XXI.

Confitemur quoque omnem Deitatis naturam in unaquaque suarum hypostaseon perfecte esse: omnem in patre, omnem in filio, omnem in Spiritu sancto. Quapropter & perfectus Deus pater: perfectus Deus filius: perfectus Deus Spiritus sanctus. Sic & ἐν τῇ ἀναθρώσει in humanatione, unius sanctae Trinitatis Dei VERBI, dicimus, omnem & perfectam divinitatis naturam unitam, omni humana nature in una sui ipsius hypostaseon, & non partem parti. Et hoc est, quod dicimus, ex communibus substantiis unionem factam esse.

Ex cap. 6.

Omnem divinitatem in persona filii incarnatam.

XXII.

Nam Deus VERBUM omnia assumpsit, corpus, animam rationalem, & intellectivam, & eorum proprietates. Totum enim me totus assumpsit, & totus toti unitus est, ut toti salutem largiretur. τὸ γὰρ ἀπρόσληπτον, ἀθεράπευτον. Nam quod inassumtum est, incurabile est.

Unio facta ex communibus substantiis.

XXIII.

Unitus autem est carni, mentis medio ὁ λόγος τῷ θεῷ, mediantis inter Dei puritatem & carnis crassitiam.

Caro assumpta mediante anima.

XXIIII.

Ex cap. 7.

VERBVM
quomodo in
virgine, &
quomodo
ubiq.

Incircumscriptè (ἀπεριγράπτως) inhabitavit VERBVM in vtero sanctæ virginis, ἀσπόρως καὶ ἀσπιλίπτως, inseminallyter & incomprehensibiliter, ut ipse scit: Et in ipsa plusquam æterna sua hypostasi ex sancta virgine suscepit carnem. In omnibus igitur & super omnia erat, in vtero sanctæ Deiparæ existens, sed in ipsa per incarnationis operationem.

XXV.

VERBVM
ex MARIA
carnem as-
sumsit.

Incarnatus itaque filius Dei, ex ipsa carnem assumpsit, primitias nostræ massæ, carnem animatam anima rationali & intellectuali, ut & eadem esset carni hypostasis, quæ & VERBI Dei hypostasis: Et composita facta est, quæ prius erat simplex VERBI hypostasis.

XXVI.

Dux natiuitates Christi.

Confitemur ergo ipsum unum filium Dei etiam post humanitatis assumptionem: & filium hominis eundem unum Christum, unum Dominum, unigenitum, & VERBVM Dei, IESVM CHRISTVM Dominum nostrum: duas eius natiuitates venerantes, vnā ex patre ante secula, ὑπὲρ αἰτίων καὶ λόγον, καὶ χρόνον καὶ φύσιν, super causam, & sermonem, & tempus, & naturam: & alteram in nouissimis propter nos, secundum nos, & super nos.

XXVI.

Christus totus Deus & homo.

Et non Deum ipsum solum predicamus, spoliatum humanitate secundum nos: neq; sanè hominem solum spoliantes ipsum diuinitate: non alium & alium, sed unum & eundem simul & Deum & hominem: Deum perfectum, & hominem perfectum: totum Deum, & totum hominem: eundem & totum Deum cum carne ipsius, & totum hominem cum superdiuina eius deitate.

Quælibet natiuita in Christo suas proprietates seruat.

XXVIII.

Incarnatus est diuinus λόγος & à propria ἀυλότητι, immaterialitate non discessit: & totus incarnatus est, & totus est incircumscriptus. Minoratur corporaliter & contrahitur, Deitas autem est incircumscripta, non coextensa carne eius cum incircumscripta eius diuinitate. Totus

XXIX.

Totus igitur est Deus perfectus, sed non totum Deus. Nam non solum Deus, sed & homo. Et, totus homo perfectus, non totum autem homo. Non solum enim homo, sed & Deus. Nam totum natura est representativum, totus autem hypostaseos, quemadmodum aliud natura est, alius hypostaseos.

Discrimen inter totus & totum.

XXX.

Quare unus est Christus, Deus perfectus & homo perfectus, quem adoramus cum patre & Spiritu, una adoratione cum immaculata carne eius. Neque in adorabilem carnem eius dicimus. Nam adoratur in una VERBI hypostasi, que & ipsi hypostasis facta est.

Ex cap. 8.

Quomodo Christum adoremus.

XXXI.

Neque creaturam colimus. Nam, non ut nudam carnem adoramus, sed ut $\eta\nu\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\eta\rho$ continuam diuinitati, & ut in unam personam, & unam hypostasin Dei VERBI due eius reuocatae sunt natura. Non carnem adoramus nudam, sed carnem Dei, id est, $\sigma\epsilon\sigma\alpha\gamma\omega\mu\acute{\epsilon}\nu\omicron\rho$ $\delta\epsilon\omicron\rho$, incarnatum Deum.

XXXII.

Neque quartam in Trinitate introducimus personam, sed unam personam confitemur, Dei VERBI & carnis eius. Nam Trinitas mansit Trinitas etiam post VERBI incarnationem.

Ex cap. 9.
Incarnatio non introducitur quartam Trinitatis personam.

XXXIII.

Ipsius VERBI hypostasis utriusque naturarum hypostasis existens, nullam insubstantem esse permittit, neque alterius esse hypostaseos. Neque quandoque quidem huius, quandoque vero illius, sed semper utriusque indivisibiliter & inseparabiliter est hypostasis. Non secta & diuisa, partem quidem sui huic, partem vero illi distribuens: sed tota huius, & tota illius impartibiliter & plenissime existens.

XXXIII.

Non enim in propria subsistentia sustentata est Dei VERBI caro, neque in alia hypostasi facta est, quam in Dei VERBI hypostasi: sed in ipsa sustentata & subsistens potius

B

(ὑπο

Ἐπιπέδου, ἐπιπέδου & μᾶλλον) Neque secundum propriam subsistens hypostasin, facta est. Quapropter neque insubsistens est, neque Trinitati superaddit hypostasin.

XXXV.

Ex cap. 11.

Natura a se sumpta quomodo intelligenda.

DEUS VERBUM, neque sola cogitatione contemplatam naturam sumsit (nam non hoc incarnatio, sed deceptio & figmentum incarnationis) neque in specie consideratam, quando quidem non omnes hypostasies assumpsit, sed in individuo consideratam, & in eadem existente specie.

XXXVI.

Primitias enim nostra massa assumpsit, non qua secundum seipsam subsisteret, & individuum prius esset, & sic ab ipso a sumpta: sed qua in eius hypostasi subsisteret. Nam ipsa hypostasis Dei VERBI, facta est carni hypostasis.

XXXVII.

Quomodo dicatur natura VERBI, incarnata esse.

Idem quoque est dicere: naturam VERBI, & eam qua in individuo est naturam. Nam haec locutio, neque individuum, id est, hypostasin proprie & solummodo ostendit, neque quod hypostaseon commune: sed significat communem naturam in una hypostaseon consideratam atque inquisitam.

XXXVIII.

Quare naturam VERBI incarnatam esse, est unitam esse carni: & carnem factam esse VERBUM, est ipsam VERBI hypostasin inuertibiliter factam esse carnis hypostasin. Quod deitas homo facta sit, aut incarnata, aut humanata, nullo pacto dicimus: atque quod deitas unita sit humanitati in una sui ipsius hypostaseon, recte dicimus.

XXXIX.

Ex his omnibus patet, quod pater & Spiritus sanctus, nulla ratione carni VERBI communicant, nisi secundam diuina signa, καὶ ἡ εὐδοκίαν καὶ βέλγησιν, & secundum acceptionem & voluntatem.

Vnde



XL.

Vnde iure optimo, & pro veritate, Deiparam, incontaminatam nominamus **MARIAM**. Nam ut verus Deus est, qui ex ipsa natus est: ita vera Dei genitrix verum Deum ex ipsa incarnatum genuit.

Ex cap. 12.

Maria verè deipara nominatur.

XLI.

Non enim hominem nudum genuit sancta virgo, sed Deum verum: non nudum, sed incarnatum: non ex cælo corpus traducentem, & ut per canalem transeuntem: sed consubstantiali nobis carnem suscipientem, in seipso sustentatam. Si enim cælitus corpus acceptum est, & non ex ea natura, que secundum nos, sumtum est, quæ utilitas humanationis? Humanatio enim Dei **VERBI** propter hoc facta est, ut ipsa qua peccavit & cecidit, & corrupta est natura, vinceret eum, qui seduxerat, Tyrannum, & sic à corruptione liberaretur.

Corpus Christi non ex cælo.

Cur incarnatio facta.

XLII.

Quare qui ex virgine natus est homo, unigenitus filius Dei & Deus est. Natus quidem σωματικῶς, corporaliter secundum quod homo factus est, non in protoplasmato homine inhabitans, quemadmodum in Prophetis: sed ipse substantialiter & veraciter factus homo, id est, in sua hypostasi animatam carnem anima rationali & intellectuali sustentans (ὑποστάσις) & ipse factus est illi hypostasis.

Quomodo filius Dei ex virgine natus.

XLIII.

Χριστοφόρον autem, id est, Christiparam nequaquam dicimus sanctam virginem, quia ad reuendum vocabulum, Θεοτόκος, Nestorius id adinuenit, qui & natum ex virgine Θεοφόρον Deiferum dicere, anhelauit. Nobis autem absit Deiferum ipsum aut dicere, aut cogitare: sed Deum incarnatum.

An MARIAM fit Christipara.

LXIIII.

Ipsum enim VERBUM caro factum est, conceptum quidem ex virgine, proueniens autē & assumptione, (μετὰ τῆς προσλήψεως) Deus: & ipsa caro iam ab ipso Deificata: quasi trius simul factus, unā cum deductione eius ad esse: assumptione, existentia & Deificatione eius à VERBO. Et sic intelligenda & dicenda Deipara virgo, non solum propter naturam VERBI, sed etiam propter Deificationem humane carnis.

Cur virgo,
Deipara.
Caro Deificata.

Ex cap. 14.

De duabus
Christi voluntatibus &
actionibus.

Vnus est, qui
vult & agit.

XLV.

Postquam igitur, ut dictum est, Christi due natura sunt, duas eiusdem & naturales voluntates & naturales actiones dicimus. At verò quia duarum naturarum una ipsius hypostasis est, unum & eundem astruimus & volentem & agentem naturaliter, secundum ambas naturas, ex quibus & in quibus, & quæ Christus Deus noster est: velle autem & agere non diuise, sed unite. Vult autem & agit in utraque forma μετὰ τῆς διατέξεως κοινωvίας, cum alterius communionem.

XLVI.

Quorum enim substantia eadem, horum & voluntas & actio eadem: & quorum differens substantia, horum & differens voluntas & actio. Et contrà, quorum voluntas & actio eadem, horum & substantia eadem: & quorum differens est voluntas & actio, horum & substantia differens.

XLVII.

Quare cum in diuina dispensatione naturarum differentiam agnoscamus, confitemur & voluntatum & actionum τὸ διάφορον, id est, diuersitatem. Nam quemadmodum vnus & eiusdem Christi naturarum numerus piè & religiosè intellectus & assertus, non diuidit unum Christum, (secundum ambas enim naturas volens & agens nostram salutem) sed saluam in vnione representat naturarum differentiam: sic & numerus οὐσιωδῶς προσόντων, substantialiter coassistentium naturis, voluntatum & actionum non diuisionem inducit, sed magis ostendit, ipsarum in vnione custodiam ac conseruationem.

Numerus voluntatum, & actionum quid importet.

XLVIII.

Et quia vnus est CHRISTVS, & vna eius hypostasis vnus

vnus est & ipse volens & diuinè & humanè. Et, quia duas nas-
turas habet voluntarias, duas voluntates, id est, naturales, qui-
bus velle potest, vires, in ipso credimus.

XLIX.

Rursum, quia vnus est CHRISTVS, & idem, volens
secundum vtramque naturam τὸ αὐτοθέλητον λέξομεν ὑπὲρ αὐτῶν,
idem voluntate affectabile ab ipso, dicimus. Non quòd ea sola
voluerit, quæ naturaliter, vt Deus voluit, sed quòd constituti-
ua natura humana volebat, non contraria sententia & volun-
tate, sed naturarum proprietate.

L.

Impossibile est autem quippiam compositum ex duabus
voluntatibus dicere, hunc in morem, quo ex duabus naturis
compositam dicimus hypostasin. Impossibile enim est, com-
positum, eorum quæ componuntur, appellationem subire, alioqui
compositum ex naturis naturam nuncupabimus, & non hyposta-
sin. Et, si vnã compositam voluntatem in Christo dixerimus,
à voluntate patris eam separabimus. Nam non composita pa-
tris eius voluntas. Relinquitur ergò, vt dicamus, solam hy-
postasin Christi compositam, & communem hunc in modum
naturis, quomodo & naturalibus eius.

Ex duabus
voluntatibus
non est vnum
quid compo-
situm.

Hypostasis, est
communis
Christi natu-
ris & natu-
ralibus eius.

LII.

Ἰνὸν μὲν quoque & electionem in Domino dicere impossibile
est, si propriè loqui volumus. Nam Ἰνὸν μὲν est post inquisitio-
nem, quæ est de re ignota & deliberationem, id est, consilium
& iudicium ad id quod indicatum fuerit, διάθεσις, affectus, quem
sequitur electio, sic dicta, quòd aliud præ alio eligat. Verùm
Dominus non nudus est homo, sed & Deus, & omnia sciens, ne-
que indigens scrutatione, inquisitione & consilio existit ac iu-
dicio: & naturaliter ad bonum habet familiaritatem, & à ma-
lo alienationem.

Quomodo
Christus int-
elligat &
sciat omnia.

LI.

Sicut in Domino nostro IESU CHRISTO duas voluntates, ita
quoque duas actiones dicimus. Habet enim vt Deus, & patri
consubstantialis, diuinam actionem: & vt homo factus, & nobis
consubstantialis, humana natura actionem.

Ex cap. 15.
De duabus ac-
tionibus
Christi.

LIII.

Voluntas &
actio Deificat
ur.

Et quemadmodum caro deificata est, & transmutationem
sua natura non est passa: hunc in modum & voluntas & actio
deificata, & proprios non egressa terminos.

LIIII.

Cur duæ ac-
tiones astru-
endæ.

Vnus enim & hoc & illud existens, id est, deitius & huma-
nitus volens & agens. Duas igitur actiones in Christo astruere
necessarium est, propter duplicem naturam. Nam quorum natu-
ra diuersa, eorum diuersa actio: & quorum diuersa actio, illorum
& diuersa natura. Et è contrario, quorum natura est eadem &
quorum actio una, horum quoque substantia una est, secundum
diuinorum interpretes patres, Θεηγόρος πατέρας.

LV.

Quomodo
Christus mi-
racula operat-
us sit.

In Domino nostro IESU CHRISTO miraculorum δύναμις, di-
uinitatis ipsius fuit ἐνέργεια: κατ' ἄνθρωπον vero & velle & dicere, vo-
lo mundare, eius humanitatis fuit actio. Per viresque enim &
anima & corporis actiones unam & eandem congeneram & æ-
qualem (συγγενῆ καὶ ἰσὴν) demonstrat suiipsius diuinam actionem.

LVI.

Propria natu-
rarū in perso-
na vna natu-
ris sunt com-
munia.

Neque etiam viuificat Lazarum humana natura, neque lacry-
matur diuina potestas: nam lacryma humanitatis propria, viuifi-
catio autem hypostatica vita. At amen utrumque communiter
utriusque conuenit natura, ob identitatem hypostaseos. Nam vnus
est Christus, & vna est eius persona, id est, hypostasis.

LVII.

Ex diuinitate igitur gloria naturaliter proficiscitur, utri-
usque natura communis propter hypostaseos factam identitatem.
Ex humanitate vero procedunt humilia utriusque communia.
Nam vnus est & idem, & hoc & illud existens, id est, Deus
& homo.

LVIII.

Hic vide quid
sit agere cum
communicat-
ione alterius.

Et eiusdem sunt, & ea que diuinitatis, & ea que humanitas
tis. Nam diuina signa diuinitas operabatur, sed non sine carne:
& caro humilia, sed non sine diuinitate. Patienti enim carni
coniuncta erat diuinitas, impassibilis manens: & passiones
per

perficiens salutes: & operanti VERBI Dei diuinitati coniuncta erat sancta anima, intelligens & videns, qua perficiebantur. De passione Christi.

LIX.

Igitur proprias glorificationes diuinitas corpori transfundebat: (μεταδίδωσι) at ipsa permanebat passionum carnis immunis (ἀμέτοχος) Non enim quemadmodum per carnem diuinitas VERBI operabatur, hunc etiam in modum per diuinitatem eius caro patiebatur. Nam caro diuinitatis organum erat. Communicatio non est reciproca.

LX.

Etsi igitur ex illa extrema & sublimi conceptione nihil immutatum fuit ex utraque forma, sed vnius personae omni tempore actiones vtriusque forma fuerunt: tamen ea, quae inseparabiliter fiunt, nullo modo confundimus, sed quid cuius fuerit forma, ex operum qualitate intelligimus. Communicatio realis non confundit naturarum idiomata.

LXI.

Agit itaque Christus secundum utramque naturam & agit utraque in ipso natura cum alterius communicatione: VERBO quidem operante ea, quae sunt VERBI propter ἀθετικήν καὶ ἐξουσίαν τῆς θεότητος, quaecumque sunt principia & regia: corpore verò absolvente, quaecumque sunt corporis munia ad voluntatem VERBI, quod ipsi conuictum, cuius & factum proprium. Utraque natura agit cum alterius communicatione.

LXII.

Non enim à seipso ad naturales passiones alacritatem operabatur, neque ipsam ex tristibus ἀφορμητικῶν παροξύνουσιν, occasio nem & refutationem: aut ea quae extrinsecus agunt, passus est: sed mouebatur secundum obsequium naturae, VERBO volente & permittente, secundum dispensationem (οἰκονομικῶς) pati ipsum & agere propria, ut per opera, natura crederetur veritas. Alacritas Christi ad passionem, vnde.

Nam

De miraculis
Christi.

LXIII.

Nam quemadmodum super substantiam substantialiter de
virgine natus est: sic & super hominem, ea quae hominum sunt,
operabatur. Super instabilem aquam terrenis pedibus ambulans
non terrena facta aqua, sed supernaturali diuinitatis potentia,
consistente ad indeflexibilitatem (πρόξ το ἀδιόχυτορ) & grauiate
materialium pedum non cedente.

LXIIII.

Explicatur
quomodo ut
traque natura
agat cum
communicas-
sione alterius.

Non enim humanitas faciebat humana: nam non homo so-
lum, sed & Deus, unde & passiones eius viuificantes & salutas
res. Neque deitas operabatur diuina: non enim Deus solum, sed
& homo. Unde per contactum & sermonem, & id genus simi-
lia, diuina signa operabatur.

LXV.

Ex cap. 17.

Circa organū
VERBI.

Nam caro Domini diuinis actionibus ditata est, propter pur-
rissimam ad VERBI unionem, id est, hypostasim, nequa-
quam naturalium proprietatum excidentiam (ἐκπίωσιρ) sustinens.
Non enim secundum propriam actionem, sed propter unum sibi
VERBUM diuina operatur, VERBO per eam propriam man-
ifestante actionem.

LXVI.

Ipsa igitur mortalis erat propter seipsam, & viuificans pro-
pter unionem ad VERBUM secundum hypostasim.

LXVII.

Quomodo
voluntas dei
ficata.

Sicut caro Domini Deificata dicitur, non secundum trans-
mutationem naturae, aut versionem, aut alterationem, aut con-
fusionem: simili quoque pacto & voluntatis Deificationem dicitur
mus, non ut transmutata naturali motione: sed ut unita diu-
ina ipsius & omnipotenti voluntati, & facta Dei humanati
(δεῖ ἐραυθρωπισάυτ) voluntas.

LXVIII.

Ex cap. 18.

Quomodo
voluntas hu-
mana volun-
tati VERBI fu-
erit subiecta.

Habuit igitur naturaliter, & ut Deus, & ut homo, voluntas
sua: comes erat & subieciatur voluntati eius humanae,
non mota proprio iudicio: sed hac volebat, quae diuina eius vo-
luntas volebat. Nam permittente diuina voluntate, patiebatur
propria naturaliter. Quando

LXIX.

Quando enim renuebat mortem naturaliter, diuina eius volente voluntate & permittente renuebat mortem, agonizabat, & pauebat. Et quando voluit diuina eius voluntas, ut humana ipsius voluntas eligeret mortem, voluntaria ipsi passio facta est. Non enim secundum quod Deus solum voluntarie seipsum tradidit in mortem: sed & secundum quod homo.

Quomodo
Christus mor-
tem voluerit,
aut noluerit.

LXX.

Prius enim à naturali infirmitate tentata, & secundum sensum eam qua in separatione à corpore & naturalem compassi-
onem passa anima Domini, & veraciter hominis facti: secun-
dum beneplacitum bonae voluntatis eius, iterum diuina volun-
tate roborata, aduersus mortem audaciam cepit.

LXXI.

Quare liberè voluit mota Domini anima, sed illa liberè voluit, quae diuina eius voluntas voluit illam velle. Non enim Spiritu VERBI caro mouebatur. Nam & Moises & sancti omnes Spiritu diuino mouebantur: sed idem ipse vnus existens Deus & homo, secundum diuinam & humanam vole-
bat voluntatem.

An caro fir-
mota Spiritu
VERBI,

LXXII.

CHRISTI duae voluntates differebant naturali virtute. Nam diuina eius voluntas sine principio, & omnium efficax e-
rat, consequentem habens virtutem: Humana verò eius volun-
tas à tempore cœperat, & ipsa naturales & innoxias passiones
sustinuit. Et naturaliter non omnipotens erat: ut autem Dei
VERBUM secundum veritatem & naturam facta, omnipotens.

Quomodo
duae voluntates
Christi
differant.

Humana vo-
luntas omni-
potens.

LXXIII.

Beatus Dionysius nouam quandam theandricam Deivirámque
actionem Christum nobis administrasse dicens, insinuare
voluit nouum & ineffabilem modum manifestationis naturalis
Christi actionum: ineffabili modo περιχώρησεως, commeatio-
nis inuicem & immansionis naturarum Christi: consentaneè
& administrationem eius secundum hominem extraneam, ad

Ex cap. 19.

De theandrica
actione.

C

miras

mirabilem, & naturæ entium incognitam: & modum *ἀντιθέσεως*,
alternæ dationis secundum ineloquibilem unionem.

LXXIII.

Repetitur illud
de actio-
nibus Christi.

Non diuisas enim dicimus actiones, neque diuisè agentes
naturas, sed unitè unamquamque cum alterius communicatione
agentem id ipsum, quod proprium habuit. Neque enim humana
humanè operabatur: (quandoquidem non nudus erat homo) ne-
que diuina secundum Deum solum (nam non erat nudus Deus)
sed Deus simul existens & homo.

LXXV.

De prædicationibus.

Animaduertendum igitur est, quòd de Domino nostro IESU
CHRISTO, quandoque ut de duabus naturis sermonem agi-
tamus: quandoque verò, ut de una persona, & hoc & illud in
unam referimus intelligentiam. Nam due natura unus est
Christus: & unus Christus due natura.

LXXVI.

Idem igitur est dicere: agit Christus secundum utramque
suiipsius naturam: & agit utraque in Christo natura cum al-
terius communicatione.

LXXVII.

Quomodo
natura diui-
na agenti car-
ni communi-
cet.

Communicat igitur diuina natura carni agenti, quapropter
bonæ voluntatis diuina beneplacito permittebatur pati & ages-
se que propria erant. Et propter quod actio carnis omnino erat
salutaris, non humana actionis erat, sed diuina.

LXXVIII.

Corpus Christi
diuinitatis
organum,

Caro autem (diuinitate *VERBI* agente) propter hoc, corpore
ut organo, diuinas perficiebat actiones, & propter hoc ipsum et-
iam, quòd unus erat agens diuinè simul & humanè.

LXXIX.

Quomodo
caro commu-
nicet operan-
ti diuinitati,

Neque latere decet, quòd sancta eius mens naturales suas ope-
ratur actiones, intelligens & agnoscens, quòd est Dei mens, &
quòd ab omni adoratur creatura, et reminiscens conuersationum
eius in terra, & passionum. Communicat autem operanti diui-
nitati *VERBI* dispensanti & gubernanti uniuersum, intelli-
gens

gens & cognoscens & dispensans: non ut nuda hominis mens, sed
ut Deo, secundum hypostasim conunita, & Dei mens constituta,

LXXX.

Hoc enim ostendit Dei virilis actio, quod sit ἀνδρῶδες (Dei) Quomodo
virifacit Dei, id est, humanati (ἐνανθρώπησεν) Et humana utraque na-
eius actio diuina erat, id est, deificata, & minime diuine actio- tura agat cum
nis immunis: & diuina eius actio non immunis humane actio- communicatio-
nis, sed utraque conspecta est. tione alterius.

LXXXI.

Confitemur autem, quod omnes naturales & innoxias passio-
nes assumpsit VERBUM. Nam totum hominem, & omnia Ex cap. 20.
que sunt hominis assumpsit prater peccatum. Hoc enim non est
naturale, nec ab opifice nobis inditum: sed ex Diabolo respersum. Quales infir-
mitates &
passiones as-
sumserit VER-
BUM.

LXXXII.

Naturales autem & innocue passionis sunt ea, quae non in
nostra potestate sita sunt, quaecumque ex condemnatione ob trans-
gressionem in humanam ingressae sunt vitam: ut fames, sitis, pœ-
na, labor, lacryma, corruptio, mortis recusatio, timor, agonia, ex
qua sudores, gutta sanguinis, & ob naturae infirmitatem ab An-
gelis confortatio, & eiusmodi, quae quidem cunctis hominibus
naturaliter insunt.

LXXXIII.

Omnes itaque accepit, ut omnes sanctificet. Tentatus est, et vi-
cit, ut nobis victoriam pararet, & daret naturae virtutem vin-
cendi aduersarium, ut natura olim victa, per quas suggestiones Christus.
victa fuisset, per illas vinceret & antiquum victorem. Cur tentatus
Christus.

LXXXIII.

Denique naturales nostrae passionis secundum naturam &
super naturam fuerunt in Christo. Secundum naturam quidem,
nam mouebantur in ipso, quando sinebat carni, ut pateretur pro-
pria: super naturam vero, quod non precedebant in Domino vo-
luntatis naturalia. Nihil enim in ipso coactum conspicitur, sed
omnia spontanea. Volens enim esuriuit, volens sitiuit, volens
timuit, & volens mortuus est. Naturales no-
strae passio-
nes quomodo
in Christo
fuerint.

C 2

VERBUM

Ex cap. 21.

VERBVM assumfit ignorantem & seruam naturam. Nam & hominis natura serua Dei est, qui fecit illam, & non habet eorum que futura sunt cognitionem: at propter hypostaseos identitatem, & inseparabilem unionem, locupletata est Domini anima futurorum cognitione, ut & reliquis diuinis signis.

LXXXVI.

Quomodo caro
viuificans.

Quemadmodum enim hominum caro secundum propriam naturam non est viuificans, & Domini caro, qua unita est secundum hypostasin, ipsi Deo VERBO, à mortalitate secundum naturam non destitit: viuificans autem facta est, propter unionem ad VERBVM, secundum hypostasin, & non possumus dicere, quòd non fuit, sed est semper viuificans: Sic humana natura substantialiter non obtinet futurorum cognitionem, Domini autem anima propter ipsam ad Deum VERBVM unionem & hypostaticam identitatem, diues facta est (ceu dixi) cum reliquis diuinis signis, etiam futurorum cognitione.

Quomodo
humana natura Christi
futura cognoscatur.

LXXXVII.

Quomodo
serua fit caro
Christi, &
quomodo
non.

Quemadmodum igitur de ignorantia dicimus, quod si ἰσχυρῶς ἐπινοῖαυε, tenuibus cogitationibus, id est, minutis phantasiis creatum ab in creato diuidas, serua est caro, nisi unita esset Deo VERBO. Semel autem unita secundum hypostasin, quomodo serua erit?

LXXXVIII.

Quomodo
Christus fit
seruus & quomodo
non.

Appellationem igitur serui subit, non quòd ipse sanè existat hoc, sed quòd propter nos formam serui accepit, & seruus nobiscum vocatus. Impassibilis enim existens, propter nos subditus passionibus, & minister nostra salutis est.

LXXXIX.

Christus omnia
scit.

Qui verò dicunt ipsum seruum, dirimunt unum Christum in duo, quemadmodum Nestorius. Nos autem Dominatorem ipsum dicimus, & Dominum omnis creatura unum Christum, eundemque Deum simul ac hominem, & OMNIA SCIENTEM. Nam in ipso sunt omnes thesauri sapientie & scientie absconditi.

Profia

Proficere autem dicitur sapientia & atate & gratia: atate quidem crescens: per incrementum autem atatis sapientiam, quam ipsi inerat, in apertum promens. Item, & proficientiam hominum, & consummationem in sapientia & gratia, bona patris voluntate, id est, Dei agnitionem & hominum salutem, propriam proficientiam faciebat: omnifariam quod nostrum est, sibi peculiariter adsciscens.

Ex cap. 22.
De proficientia Christi.

Qui verò proficere ipsum dicunt sapientia & gratia, ut horum accessionem additionemque subinde susipientem, non ex extrema carnis existentia, unionem factam astruunt: neque secundum hypostasim adorant unionem, à Nestorio persuasi habitudinariam unionem, & nudum incolatum falso predicant, non cognoscentes, neque ea quae dicunt, neque de quibus differunt.

Quomodo ergo non perfectè ditata est omni sapientia & gratia? non ipsa quidem per gratiam participans ut nos: neque secundum gratiam ea quae VERBI sunt participans: sed potius propter unionem secundum hypostasim humana & diuina vnus Christi facta participat.

Est timor naturalis, nolente anima separari à corpore, propter naturalem inditam illi à rerum Conditorè à principio compassionem & familiaritatem, propter quam naturaliter timet, agonizat, & renuit mortem. Est rursus timor, qui ex errore cogitationum provenit & diffidentia: & ex eo, quod quis mortis horram ignorat, ut quando nocte timemus, strepitu aliquo facto, qui quidem praeter naturam est. Hunc autem Dominus non sustinuit, ideo non timuit unquam, nisi passionis tempore.

Ex cap. 23.
De timore Christi.

Porrò, cum oratio sit ascensio mentis in Deum, aut decentium à Deo petitio: quomodo igitur Dominus in suscitatione Lazari, & passionis tempore orabat? Non enim ascensione ad Deum

Ex cap. 24.
De oratione Christi.

um sancta eius mens indigebat; semel secundum hypostasim Deo
VERBO unita: neque petitione à Deo, nam unus est Christus,
XCV.

Verum nostram in se exprimebat personam & typum: quod no-
strum est in seipso formabat, nobis factus exemplum, & edocens
nos à Deo querere, & ad ipsum attendere, & per sanctam eius
mentem nobis sternens viam, ad Deum ascensum.

XCVI.

Ex cap. 26.
De passione
Christi.

Ipsam igitur Dei VERBUM omnia sustinuit carne, diuina
eius sola natura impassibili perdurante. Nam uno Christo ex
Deitate & humanitate composito, in Deitate & humanitate
existente, patiente: hoc quidem passibile, ut natum erat pati,
patiebatur: at non simul patiebatur, quod erat impassibile.

XCVII.

Nam anima passibilis existens, inciso corpore, ipsa non in-
cisa condolet, & compatitur patienti corpori: at diuinitas im-
passibilis existens, non compatiebatur corpori.

XCVIII.

Et id sciendum, quod dicimus: Deum carne passum: diuinitatem
autem carne passam, aut Deum per carnem passum, nequaquam.

XCIX.

Ex cap. 27.
De morte
Christi.

Et quanquam mortuus est, ut homo: & sancta eius anima
ab incontaminato separata corpore: non tamen diuinitas ab
utroque separata remansit, ab anima, inquam, & corpore: &
neque sic una hypostasis in duas dissecta est hypostases. Nam &
tunc corpus & anima secundum idem à principio in VERBI hy-
postasi habebant existentiam, & ipsis in morte ab inuicem sepa-
ratis, unumquodque eorum mansit, unam VERBI habens hypo-
stasin. Quò fit, ut etsi localiter anima à corpore separabatur, hy-
postaticè tamen per VERBUM uniebatur.

C.

Ex cap. 28.
Quomodo
Christus non
viderit cor-
ruptionem.

Dissolutio significat primò huiusmodi passiones, famem, sitim,
laborem & clauorum confossionem, mortem, id est, anime à
corpore separationem, & id genus alia. Deinde significat etiam
perfectam corporis dissipationem, interitum & disparentiam in

24

ea Elementa, ex quibus compositum fuerat, qua quidem dissolu-
tio magis à complusculis corruptio nominatur.

C I.

Indissolubile (ἀφθαρτον) Domini corpus dicere secundum primum
dissolutionis significatum, ante resurrectionem, impium est. Se-
cundo autem dissolutionis significato, indissolubile, id est, incor-
ruptibile confitemur Domini corpus, quemadmodum nobis Patres θεο-
φῶσοι tradiderunt. Attamen post resurrectionem ex mortuis secun-
dum primum significatū, indissolubile Dominici corpus asseueramus.

C II.

Esi autem gustauit cibum post resurrectionem, non tamen Ex cap. 1,
lib. 4.
De resurre-
ctione Christi
fii.
naturali lege, sed dispensationis modo veritatis suae resurre-
ctionis fidem inducens, & confirmans, quòd ipsa eadem caro, qua
passa est, resurrexit.

C III.

Sic in caelum ascendit, & sic ad dexteram patris sedet. Ascen- De ascensione
Christi in
caelum.
sio ex terra in caelum, & iterum descensio & aduentus, actiones
sunt circumscripti corporis: sic enim rursus veniet ad nos,
quemadmodū, (inquit Angelus) vidistis eum euntem in caelum.


C IIII.

Dexteram patris intelligimus gloriam & honorificentiam Ex cap. 2.
De dextera
patris.
Deitatis, in qua Dei filius ante secula existens, ut Deus, &
patri consubstantialis, in nouissimis temporibus incarnatus est,
& corporaliter sedet conglorificata carne eius.

C V.

Evge & Christe Dei **V E R B U M**, & sapientia & virtus, & Ex cap. 4.
lib. 4.
Deus omnipotens, quid tibi pro his omnibus nos pauperes re-
tribuimus? Tua enim omnia, & à nobis petis nihil, nisi
saluari. Ipse enim hoc das, & accipientibus gratiam habes,
(χαρίσιν εἰδώς) propter ineffabilem bonitatem tuam. Tibi gratia,
quòd esse dedisti, & benè esse elargitus es, & eos qui ex illo de-
ciderint, rursus erigens, ad illud, διὰ τῆς ἀφάτης συγκαταβάσεως,
propter ineffabilem condescensionem & misericordiam.

τῷ μόνῳ θεῷ δόξα.



99 763

ULB Halle 3
002 142 023



Nur für den Lesesaal





EX
DE O
mu

PRÆ

M

DIE X

ogica,
CENI, DE FI.
PERSONALIS, COM
iculorum in secunda
Christo com-

HÆO THEOLO.
publico,

uente,

THEOLOGIAE

sequenda,

ORIO COLLE.
xta.

XXXIII.

